9

IACOBI GOTHOFREDI IC.
DE
FAMOSIS LATRONIBVS
INVESTIGANDIS,

DISSERTATIO:

Ad L. Si Barſatoram 13. Cod. de Fideiuſſoribus.



GENEVÆ,

Apud Ioannem de Tournes.

M. DC. LII.



DISSERTATIO.

Ad *L. Si Barſatorum 13. Cod. de Fidejuſſoribus.*

IN hâc quoque lege periculum facere nunc libet, publicane materies priuati iuris mei aliquo adhuc fieri pactopoſſit. Quæ quidem etiam à me potiſſimum ideò delecta fuit, quòd in argumento *Politico* verſaretur, & quia haud ita pridem ex facto mota alicubi quæſtio fuit, de modis mediiſq; Latronis hoſtiſque publici inhibendi, inveſtigandique: tandem, vt in illuſtri loco poſito exemplo magis magiſq; palam facerem, haud adeo effœtam eſſe, quod vulgò creditur, Iuriſprudentiam Romanam, haud adeò à præclariſſimis exhauſtam ingeniis, quin nouis ſubinde proceſſibus in melius produci atq; inluſtrari queat. Quod quidem animis fixum ſi ſemel noſtris hæreret, haud multò ſequioribus ætas hæc profecto, quam ſuperior, ſeſe iactaret Iuriſconſultis: altius videlicet euadendi ſpe propoſita: quâ ſemel abſciſsâ, ſimùl ad ſummum perueniſſe iam ſtudium quodcumq; tandem creditur, non id ſtare tantum, verum ceſſim ire neceſſe eſt. Plura præfari deſino. Lex eſt de famoſiſſimis, ordine *decima tertia*, Codice Iuſtinianeo, ſub *titulo de fideiuſſoribus*: in hæc verba.

Pars ex Epistolâ GORDIANI. *A. ad Auxium.*

Si Barsatoram latronem Lysanias inuenturum se spopondisset, aut exhibere compellendus est, aut transmittendus ad Praefectum praetorio, vel ad Praesidem Prouinciae.

Singularis, inquam, est admodùm haec Gordiani Imp. constitutio, eaq; vnica toto iure hoc in argumento, super sponsione seu promissione ab aliquo Reipublicae facta, famosi alicuius latronis inueniendi. Quam quidem etiam (nam inde initium ducere oportet) Tribonianus ipse, nisi fucum data opera facere maluerit, assecutus minùs videtur: & in alia omnia turba Interpretum hactenùs detorsit: Triboniani, inquam, capitalis fraus seu error hic fuit, vnde caeteri postea manarunt, quòd eam in titulum *de fideiussoribus* perperam coniectam voluit: *spondendi* verbo alium alienumq; in sensum, quo de mox, flexo. Melius enim rectiusq;, quod sequentia ostendent, Lex haec posita fuisset sub titulo *de requirendis reis*, vel sub titulo *de exhibendis & transmittendis reis.* Neq; etiam absurdè ea staret sub titulo *de Decurionibus*: Quin & titulus *De his qui latrones occultauerint* eandem sibi iure vindicare posset. Tandem affinitatem quoq; quandam habet haec constitutio cum argumento tituloq; *de pollicitationibus*, vbi profecto etiam cautio saepe interueniebat *l.9.§.3.ff.quod metus causa.* Nullo certè pacto lex haec pertinet ad Fideiussores. Quod tamen cùm Tribonianus semel credi voluisset, res ea Interpretes non perplexos & ancipites

modò

modò reddidit, verum in deuia planè transuersos abripuit: eò quidem, vt Cuiacius quoq; haud satis huius l. speciem ab eâ, quæ proponitur *l. 4. ff. de custod. reorum*, distinxerit. Accursianorum certe meræ sunt φλυαρίαι & affaniæ, tùm circa speciem legis ponendam, seu casum figurandum, tum circa quæstionem proponendam, atq; inde sententiam & decisionem iuris conficiendam; Etenim vt titulo sub quo ea stat, *de fideiussoribus*, eam aptarent, duos sibi finxêre casus Interpretes. Prior est, Lysaniam decurionem promisisse, latronem *iudicio sisti*, & sic quasi fideiussorem eius fuisse, & vt verbo vtar, vadimonium pro eo promisisse. Quæ interpretatio neutiquam admittenda est, neq; enim Lysanias *pro reo aliquo*, adprehenso forte, in ue ius ducto tractoue, seu *in eius gratiam*, vadimonium promisit, iudicio videl. eum sisti, seu de repræsentando eo, vt loquitur Iustinianus, cauit, quæ cautionis iudicio sisti vis est; non alienæ & principali obligationi accessit, quæ fideiussio est: verum suam ipsiusmet in publico latrone delitescente peruestigando operam spopondit: quod vtique ad fideiussionis causam seu speciem nullatenus accedit, nullamq; fideiussoriam obligationem continet, ἐμφανίας ἢ προσαγωγῆς ἐγγύην: verùm principalis, propria & separata obligatio est, quæq; per se stat, non alienæ accessoria. Altera interpretatio & lectura, vt loquuntur, ea est quam velut vicinam magis & amicam Rubricæ proponere se aiunt Interpretes nonnulli, nempe Lysaniam promisisse se inuenturum latronem, & super hoc etiam fidejussores

 alios

alios dedisse: allegata semper in id perperam dicta *l. 4. de custodia reorum*, & vt quidam explicant, dedisse pro parte præmij seu pretij, quod publicitus ei promissum fuerat à Senatu qui latronem inuenisset. Quod quidem similiter gratis dicitur. Nam vt concedamus, quod tamen textus non præfert, pretium aliquod præmiumue *εὕρετρον, μηνύτρον* pro indicina à Senatu seu à Curia Lysaniæ decurioni, si latronem inueniret, promissum, vnde illi colligant, fideiussorem eo nomine à Lysaniâ datum? Imò enim ipse Lysanias *spopondisse* dicitur, non *sponsorem alium dedisse.* Cuiusmodi etiam sponsorem huiuscemodi facti alieni nemo puto facile reperiat, qui inquam spondente alio, *se latronem vagum vel latentem inuenturum*, pro eo caueat, spondeatue: Aliter atq; in specie *d l. 4.* alteraq; eiusdem Imp. Gordiani *l. 2. Cod. ad S.C. Turpillianum*; similibusq;, vbi reus aliquis in iudicio præsens, vel incarceratus, iudicio sisti, repręsentari, promittitur. Imò neq; sponsor hâc in re probabili satis more exigatur. Ergo maneat, in specie huius l. Lysaniam Decurionem, neq; *pro alio*, seu in gratiam alterius, spopondisse, neq; *pro se* fidejussorem & sponsorem alium dedisse.

Quod *quæstionem* & decisionem seu sententiam huius l. attinet, id hactenus ea definiri putat turba Interpretum, haud satis esse ei qui spopondit se latronem inuenturum, si tantum inuenerit, repereritue; seu non liberari eum per solam latronis visionem, nisi eundem exhibeat: Vnde iam Brocardicum istud conficiunt, *Eum qui promittit antecedens, & consequens promittere*

promittere videri. Et summarium huic legi præfigunt. *Eum qui promittit latronem inuenire, videri promittere iudicio sisti*, quæ Bulgari summa multis placuit: Vnde iam ad statutorum interpretationem hanc l. passim aptant: quibus verbi gratia quis vetatur, *De nocte sine lumine vel cum armis inueniri:* nempe vt pœnam statutariam quis incurrat, haud satis esse, si sine lumine vel cum armis visus fuerit, verùm requiri insuper, vt sine lumine vel cum armis apprehensus fuerit. Item referunt ad *proclamam*, vt loquuntur, seu bannum pretiumve, aut præmium publicè propositum promissumq; capienti bannitum, diffidatum, *forusciutum*, vt loquuntur: hoc videlicet quoq; casu, non satis esse, si quis eum detexerit, viderítue, apprehendere enim eum oportere: Item *inuenisse lupum* dici qui occidit, non qui tantum inuenit, vt statuti præmium ferat. Quæ omnia suauia sunt & ab huius legis quæstione & definitione aliena prorsus, mox vt patebit.

Quinimo misella lex, quantumcunq; breuis & perspicua; & ipsa in emendatores seu correctores incurrit; fine quippe legis substituunt illi vocem *transmittere*: hoc sensu, Lysaniam, Barsatoram lătronem *transmittere* debere: ineptissimè, vox enim *transmittendi* hâc l. ad Lysaniam pertinet, qui ad maiores Iudices transmitti iubetur, quod iuxta sponsionem suam latronem non exhibeat.

Nos vt hanc legem à prauis Interpretationibus, simul & ab ea quam dixi emendatione, vindicemus, inconniuis ad singula eius verba oculis, ipsum primo

casum siue speciem expendemus, vbi agendum nobis erit de ipsâ primùm *sponsione*: deinde, de *Latrone*, cuius causa sponsio facta fuit: tertiò, de sponsione *inueniendi* eius; postremùm, de *Decurione* à quo sponsio isthęc facta fuit. *Spondendi* igitur verbo voluit, vt iam monui, Tribonianus, & exinde voluit turba Interpretum, intelligi fideiussoriam pro alio obligationem: de qua equidem sponsione fideiussoria est eiusdem Imperatoris Gordiani *d.* lex 2. *Cod. ad* S.C. *Turpillianum.* Verum, vt iam dictum est, verba legis apertissima sunt, quæ Lysaniam *ipsum suo nomine spopondisse* ingerunt, neq; hîc quicquam occurrit, vnde colligi possit, Lysaniam *pro alio* spopondisse, non magis quàm alium *pro se* sponsorem dedisse: contra, cùm *spopondisse* quis vel sponsor pro alio in iure proponitur, id significari nota saltem aliqua addita solet, vel adiuncto quodam indicari, si non verbis apertissimis: vide vel *d. l.* 2. *Cod. ad Turpil.* & legem 16. *Cod. h. t.* Ergo spopondit Lysanias ex persona sua, seu suo nomine, se latronem inuenturum. *Sponsor* scil. dictus, qui suo nomine aliquid spondetet seu promitteret, non tantum pro alio, sed pro se etiam, etsi super alienâ persona reue. Quâ causa etiam sponsor à fideiussore exerte quandoque separatur: Spondere item & fideiubere, vt apud Paulum, *in Sententiis.* Sic sanè & spondere parentes filias suas petitoribus dicti, κατεγγυᾶν ὑπισχνεῖσθαι: sic & *sponsiones* dictę, quibus partes inuicem contendentes sese prouocabant, de quibus mox: vt & sponsiones in rebus ludicris. Et quanquam sæpe initio inspecto sponsio sponte facta

facta (vnde & *ſpondendi* vocem quidam deriuant) atq; adeò vltronea ſponſio hoc nomine quoq; cenſita: cuiuſmodi certe non pollicitationes modo, ſed & ſponſiones fieri ſolebant, de quo eſt *titulus* Digeſtorum *de pollicitationib.* & nonnullæ leges in Codice: vt & Symmachi locus, lib. 7. *ep.* 78. non nuda tamen hîc promiſſio aut pollicitatio indicatur, verùm ſolemnis ad præcedentem videl. ſtipulationem facta promiſſio: Nam vt ad rem omninò & eleganter Imperatores, in *l.* 1. *Cod. de contrah. & committ. ſtipul.* definiunt. *Licet epiſtolæ additum non ſit, ſtipulatum eſſe eum, cui cauebatur, tamen ſi res inter præſentes geſta eſt, credendum eſt, præcedentem ſtipulationem vocem* SPONDENTIS *ſubſecutam eſſe.* Quomodo & de promiſſione fideiuſſioneq; id ipſum definitur §. 17. *Inſt. de inutilibus ſtipulationib.* §. *vlt. de fideiuſſor. l.* 30. 134. §. 2. *ff. de V. O.* & apud Paulum 5. *Sent.* 7. §. 2. Rectaq; eſt Alciati ſententia, *ſponſionis* verbum ſeu *ſponſus* toto iure, non ad nudam vnquam promiſſionem pertinere, verum eâ ſolemnem ſemper verborum obligationem indicari. Quod etiam oſtendit lex *ſciendum* 19. §. *dictum ff. de ædil. edicto, l. Stichus* 24. *ff. de ſtatulib. l. vn. Cod. de ſuffrag.* Neq; contraria ſententia, vlla ſatis lege firmatur. Non probat id inquam *Lex pen. ff. de aleatoribus*: vel *lex ſi gratuitum* 17. §. *vltim. ff. de præſcriptis verbis*: quia, imò *ſponſionis* verbum peculiari ſignificatu ibi poſitum extat pro mutuâ ſtipulatione: vbi videlicet pro virtute certamen eſt inter ludentes & prouocantes ſeſe mutuo ad pignus deponendum, promittendum, victoriq; reddendum, quę Græcis παρακαταβολή.

Quo

Quo simili etiam sensu *sponsiones in Circo* memorat, simul & carpit, Tertullianus, *de Spectaculis cap. 16.* Cuiusmodi etiam sponsiones in iudiciis olim vsurpatæ, vbi qui contendebant sponsionib. se inuicem prouocare consueuerant, siue actionib. siue interdictis experturæ essent: quarum multa mentio apud Ciceronem, Asconium, Gellium, Valerium Maximum, vbi sanè stipulatio & restipulatio intercedebat: teste vel Valerio Maximo, *lib.2.cap.8.* Non probat etiam *lex 1.ff. de Legibus*, vbi Lex definitur, *communis Reipublicæ sponsio*: sponsio enim ibi est publica conuentio, quam Græci συνθήκην vocant, vt subiecta Demosthenis definitio ostendit: & quidem translatione quadam atq; allusione ad veterem legum rogandarum morem, vbi stipulatio, sponsioq; intercedebat: συνθήκη autem, communi voce, quia Græci non habent, si Theophilo credimus, quo vim stipulationis, quæ à iure ciuili profecta est; sponsionisq; exprimant: pariter vt ὁμολογία, ὁμολόγημα, quibus vocibus Aristoteles non semel vtitur eâdem in re: etsi veteres Glossæ reddant *spondeo* ἐγγυῶ ἐγγυῶμαι, ἐπαγγέλλομαι, ὁμολογῶ. Non probat etiam Lex *Stichus 24.ff. de statuliberis*, nam & ibi seruus ad mandatum testatoris hæredeq; stipulante promittit spondetq;. Non *lex sciendum 19.§.dictum ff. de ædilitio Edicto*: Nam imò cùm ibi *dictum* à *promisso* accuratè distinguatur, illud tantum ibidem adijcitur, *promissionis* vocem referri posse & ad nudam promissionem seu pollicitationem, & ad sponsum seu sponsionem: quinimò mox hæc disertè ad mentem nostram ibi subijciuntur;

ciuntur : *is qui ex huiusmodi causa stipulanti spopondit.* Non *Lex 7.§.quod fere ff. de pactis*: nam imò *spondendi* verbum ibi de stipulatione disertè positum est: in tantum, *vt eo §.* caueatur, vt si pacto alioquin nudo nouissima eius parte, *sponsionis* vox clausulaq; addita fuerit, exinde pactum, informetur, & ex stipulatu actio nascatur. Non deniq; probat *Lex sponsio 7.ff.de verborum significatione* : nam, quod iam notum & exploratum esse debet, quod eâ Lege dicitur, *sponsionem* appellari non solùm eam quæ per *sponsus* interrogationem fit, sed omnem stipulationem promissionemq;,id ita clarè accipiendum est, *sponsionem* dici, non tantum vbi ipsum *spondendi* verbum intercessit, verum & si alio verbo,stipulatio promissioq; facta fuerit : Non tantum scilicet hoc verbo *spondes*, *spondeo*, verùm etiam alio quocunq; verbo, veluti *promittis*, *promitto*, sponsio, stipulatioq; contrahitur. Quomodo & aliàs variæ olim stipulationum sponsionumque formulæ fuêre, quas prisci Iuris auctorès componebant, deq; eorum consilio & autoritate stipulationes restipulationesq; fiebant, vt ex Varrone & Cicerone discimus. Porrò, ne quis erret, hæreatue, separantur *eâ lege 7. stipulatio & promissio*, non superfluè, non maioris tantum in genere declarationis gratia, multò minus velut diuersi actus, seu diuersa negotia, quod nonnulli vrgent, verùm continuâ oratione in eodem actus negotijq; genere velut diuersæ agentium seu contrahentium partes : nempe *stipulatio* propriè dicta, à parte stipulantis: *promissio* verò, à parte promittentis: cùm alioquin etiam *stipu-*

lationis verbo totum istud negotium, quod inter interrogantem seu stipulantem & spondentem seu promittentem peragitur, breuitatis studio sæpissime significetur. Maneat igitur, toto iure antiquo *sponsionem* nunquam pro simplici nudaq; promissione efferri, verum de solemni verborum obligatione ad præcedentem aliquam stipulationem facta: quę quidem etiam sponsio solemniter & conceptis verbis, commonitorio vel scriptis sæpe, consignabatur, vt in sp. *l. vn. Cod. iust* seu *L. 2. Cod. Th. de suffragiis.* Indéq; & *concepta sponsio*, dicitur Ausonio, *in gratiarum act.* & promissio solemnitate verborum facta, à pacto diuersa *l. 7. Cod. communia vtriusq; iudicij*, & solemnitate verborum se obligare quis *l. 12. Cod. si certum pet.* Indeq; iam *promittere* speciali significatu minus est quam spondere, Seneca *Ep. 19. Iam non promittunt de te sed spondent*: promittunt scilicet, qui, quamcunq; conuentionem ineunt: spondent qui stipulanti promittunt, quod vtique arctius vinculum est: de quo mox. Cicero *pro Cæcinna. Qui quod spopondit, quâ in re verbo se vno obligauit, non facit* &c. Itemque *ex sponsu agere* est ex stipulatu, *in d. l. 7. ff. de verborum significatione, & d. l. 19. §. dictum ff. de ædil. edicto*, & apud Varronem & Gellium. Denique idem Gordianus, qui huius l. auctor est, eodem semper sensu *spondendi* verbum extulit, pro promissione facta ad præcedentem stipulationem, veluti *in l. si super 9. Cod. de transactionibus.* Ad rem. Non igitur in specie huius legis Lysaniæ pollicitatio nudam intra promissionem stetit, verum solemnitate verborum fidem suam obstrinxit spopondítque: Curia scilicet vel Magistratu stipulante, &

Lysania ita fermè spondente, *spondeo promittoq̃* vel *spondeo inq̃ me recipio.* (vt Cicero 13. *famil.*17.) *me Barsatoram latronem inuenturum.* Et profectò grauior hæc res & causa erat, grauius negotium, quàm vt nudam intra promissionem staret: Quò enim grauiora sunt negotia, eo arctioribus quoq; proculdubio vinculis adstringi solent, cuiusmodi certè est vinculum stipulationis, vt vocatur *lege 6. Cod. si certum pet. Lege 3. Cod. de vsuris:* quæ vtiq; obligationum firmandarum gratia inducta est. *l. quicquid adstringendæ 99. ff de V.O.* quaq; firmitas obligationum constringitur, vt Paulus scribit, *lib. 5. Senten. titul. 7. §. 1.* vt omittam, quæ de ipso *stipulationis* nomine in id vulgatissima sunt.

Et hactenùs quidem sponsio facta dicitur à Lysaniâ, *se Barsatoram latronem inuenturum.* Neq; additur, vt in tanta alioquin re fieri amat, ac nominatim in latronibus, bannitis, hostibus publicis, diffidatis eruendis comprehendendis, præmiumne aliquod, μήνυτρον, δώρετρον, ob indicium, indicinam, Lysaniæ publicitus promissum fuerit. Quod tamen & hîc factum facile admittam, etsi id lex non dicat: Pauci quippe in has sponsiones veniunt, nisi præmio, speue præmij inuitati. Quomodo sane etiam ob indicium comprehendendi furis sæpe quid promittebatur, promissumque iure debebatur. Paulus 2. *Sentent. tit. 31. de furtis.* §. 24. vt & indicia seu indicij præmia promissa publico præconio, si quis fugitiuum redderet, aut commonstraret, vt apud Petronium. c. 57. Apuleium, Senecam, Fortunatianum, Forteaǹ igitur alicuius honoris in ciuitate municipioue spes

Lyſaniæ oblata, aliterue fides eius præmio pignerata fuit, quod vtique minori occaſione fieri ſolebat, veluti ob ornatum, & publici operis promiſſi tantum, munerisue ſeu ludi gratia, vt apparet *ex titulo de pollicitationibus.* Quantò magis in re quæ ad pacem publicam & ſecuritatem Reipublicæ pertineret? Neq; etiam retrò additur hâc l. vtrum pœnali ſeſe Lyſanias ſponſione ſeu promiſſione deuinxerit, vt cæteroquin pœna ſtipulationibus adiiciebatur: etiam cautioni iudicio ſiſti: *ſi duo* 5. *l. ſi procurator.* 14. *ff. ſi quis cautionibus. l. quotiens quis* 81. *l. ſi ſtipulatus* 97. *l. ſi ita ſtipulatus* 97. *l. ita ſtipulatus* 126. *§. vlt. ff. de verborum obligationib.* Quicquid huius vtriuſque ſit, id ad propoſitam quæſtionem minimè pertinebat: id enim ſaltem quęrebatur, vtrum Lyſanias qui fidem ſuam ſemel obſtrinxerat, in hac facti ſpecie ſponſionem ſuam omnimodis implere deberet, quibuſque mediis ſeu remediis eò adigendus eſſet.

Et quidem ſponſionem, quod ſecundo iam loco notandum eſt, de *Latrone* inueniendo: Latrone i. eo qui ferro armatus pacem publicam & ſecuritatem turbabat, viatores viaſq; proculdubiò infeſtas habebat, prædaſque ex inſidiis agebat, ἐνεδρεύων, ſubſeſſor, κακοῦργος; id enim *Latronis* appellatione intelligendum vlteriori probatione non eget. Quanquam & *Latronis* ληστοῦ nomen ſæpe effertur pro ſeditionis Principe, quę ſeditio vt ſine armis non mouetur ita ad cædem ferme progreditur. Et quidem ſponſio interuenit de *Latrone*, non vulgari aliquo, ſeu de *Latrunculo* inueniendo, verum de Famoſo aliquo latrone,

vt

vt *famosi Latrones* appellantur *Lege 28. §. pen. ff. de pœnis:* insignes, *lege 6. ff. de appellationibus.* Famosus scilicet Latro erat Barsatoras, nominatissimus, περιβόητος, ἐπίσημος, vt de Barrabâ quoque latrone dicitur *Matth.* 27. v. 16. quique ideò de nomine suo hic designatur. Dux ipse scilicet, & caput inter συστασιαστὰς, factionis Latronum, τοῦ λῃστικοῦ, seu latrocinalis manus signifer, λῄσταρχος vel λῃστάρχης: Nempe enim Latrones insignes sæpe in Duces & latronum capita euadunt, & Latrocinia eorum in bellum: sic vt nonnisi Duce huiusmodi capto cæsoue requies Latrocinij esse possit; nam sicut acies funditur duce occiso, ita Latrocinium; sic enim aliò passim alij dilabuntur, publiceq; adeò interest maximè, ipsius Ducis quoquo modo potiri, vt loquitur Tacitus. Huiuscemodi Latrones famosi fuêre: verbi gratia, *Apuleius* proscriptus, & *Sextus Pompeius* apud Appianum, *Viriatus* in Lusitania: *Spartacus* item: vt & *Corocota* in Hispania, auctore Dione sub Augusto: qui Imperator ei qui viuum eum caperet ζωγρήσαντι αὐτὸν ingens præmium pollicitus fuerat: *Tacfarinas* item Afer sub Tiberio, de quo vide Tacitum: *Claudius* latro sub Seuero Imperatore, ante hos 40. fermè annos, qui Iudæam Syriamque prædabatur, eodem Dione teste: vt & *Bula* latro in Italiâ, eodem auctore: De hoc inquam genere latro erat Barsatoras, quem Lysanias decurio inuenturum sese spoponderat, quemque publicè inueniri, capi, exhiberi intererat.

Cæterùm Barsatoræ & Lysaniæ nominibus satis monemur, famosum hunc latronem per Orientem

fuisse; & quidem exterę gentis: quomodo & *latrunculi extera gentis* quidam memorantur à Pomponio. *leg.6. ff. de captiuis*: proculdubio qui Syriam infestabat, aut Mesopotamiam: siue is Arabs fuerit, siue Persa, siue ex vicinis ibi regionibus. De *Lysaniæ* equidem nomine nemo qui historiam gentis Iudaicę legerit ambigat, per Syriam nominis istud frequenter percrebuisse. *Barsatora* certè quoque nomen gentibus illis proprium fuit: quod similia ibidem passim nomina ostendunt, in quibus omnibus *Bar* filium significat: vt ecce, *Barzapharas*, Persarum Satrapa apud Iosephum, *lib. 14. Antiquit. c. 23. & de bello Iudaico lib. 1. cap. 11.* vbi & Lysanias pariter memoratur. *Bardanes* Parthorum Rex apud Tacitum. *Barzimeres* Ammiano Marcellino. *lib.30.p.452. 453. Barchalba*, eidem *lib.31. p. 328. 329. Barchochebas* Hadriani tempore, de quo Thalmudici scriptores, *titulo de Synedrio cap. Helec 26.* Iustinus martyr *Apol.2.* Iacchiades *ad Danielem* 11. 34. Eusebius, *hist. Eccl. lib. 4. c.6.* & in Chronico circa A. D. 136. qui quidem ita dictus à Chocheba vico Galileæ: ex euentu verò filius mendacij. Similis & *Bargioras* sub Tito: de quo Tacitus *lib. 5. histor. c. 12.* & Iosephus *de bello Iudaico*: Barsemius, Atrenorum Rex, Seueri Imp. temporib. qui Nigri partes fouerat, de quo Herodianus, *lib. 3. Bardezanes* hæreticus ex Edessa Mesopotamiæ, de quo Epiphanius: Pluresque alij qui in Nouo Fœdere memorantur: *Barrabas* & ipse quem dixi ληστὴς ἐπίσημος. *Barionas, Bartholomæus, Bartesus, Barnabas, Barsabas, Bartimæus.* Omitto alia huiusmodi patronymica quia innumera.

innumera. Nos verò certius quid adhuc hanc in partem statuere possemus, si liqueret nobis vbinam *Auxius* iste, ad quem hæc Gordiani epistola seu constitutio emissa est, constiterit, officioq; functus fuerit. Certe Gordiano Imperatori ipsi rem fuisse comperio, non tantum in *Africâ* cum Mauris, verum etiam in *Syriâ* cum Persis, qui post Alexandri Seueri mortem partes illas infestabant: in quorûm etiam tandem finibus idem Imperator Gordianus occisus est: sic vt ex his forte famosus hic latro fuerit, si non belli Persici incentor vel instinctor, prædarum saltem & incursionum, vel certè tumultuum auctor: quem ibi capi cœdiue publice plurimum intererat, vt ita factio scelerata concideret seu frangeretur. Verum hæc in medio relinquimus.

Illud saltem probabile, *Barsatoram* ita adscititio nomine dictum, quasi filium latebrarum, & latendi peritissimum: *Satur* enim lingua Hebraica significat abscondere, occultare, & *Satara* Arabicè est tegere, protegere.

Ergo, quod *tertio* loco notandum est, exortus ingenti vt præ se ferebat animo, patrięque ductus amore, Lysanias, qui se famosum hunc latronem *inuenturum* spopondit. Non hęc scilicet pollicitatio fuit sumptus alicuius vel erogationis aut liberalitatis in Rempublicam faciendę, non muneris seu ludi exhibendi, non operis alicuius excitandi, quales sunt probabiles satis alioquin pollicitationum species, de quibus est titulus expressus *in Digestis de pollicitationibus*: Non item sponsio promissioue nudę alicuius delationis

tionis aut indicinę, de quibus eſt quoque eiuſdem Gordiani non vna conſtitutio: Verùm maius quid, & Reipublicæ fructuoſius, inueniendi ſcilicet Latronis publici & famoſi: *Inueniendi*, id eſt, non nudę alicuius ad hoc operæ, opis conſilijue ſponſio, verum rem effectam reddendi, latronis inquam capiendi, corripiendi, exhibendi, ſiſtendi, id enim hîc eſt latronem inuenire: *Inuenire* eſt in rem venire quæ quæritur, vt noſtri non adeò abſurde, rem quamcunque in abdito locatam non tantum eruere, perueſtigare, occultam demonſtrare, vt Apuleius *lib.6.p.* 176. deprehendere, verum etiam comprehendere, apprehendere, nanciſci, occupare, adſequi, inuentum quid ſiſtere, exhibere: & ſic inuenire cum effectu: Et cum de reo inueniendo agitur, ſimul tradere; παραδιδόναι, offerre Iudicibus, in publicum deducere; quæ voces alioquin hac in re proprię ſunt, vel certe comprehendendi facultatem dare: quomodo apud Paulum. 2.*Sent.* 31.§.24. dicitur *ob indicium comprehendendi furis præmium promiſſum.* Similiterque inuenti deſertores dicuntur. *l.*11.*C.Th. de deſertorib* vt & Aſturiani latrones. *l.vn. eod.Cod.de Aſturianis.* Eodem ſenſu, quod huic geminum eſt, quis dicitur fugitiuum inuenire, *lege* 35.§.3.*ff. de contrahenda emptione*: ſic & aliàs inuenire, colligere & tollere pro eodem ſumuntur *lege* 43. §.8.*ff. de furtis*: ſic & in litore inuenire, *lege* 3. *ff. de rerum diuiſione*, & exinde §.18. *Inſt.eodem titulo*: ſic & theſaurum inuenire *lege* 63.*ff.de adquirendo rerum dom.* & exinde §.18. *Inſt.eod.tit.* & *l.*63.*ff.de adq.rer.dom.* & exinde §. *theſauros Inſt.eod.l.*4. *v. non fit ff.ad l. Iul.peculatus*

culatus l. 3. *& vlt. ff. de iure fisci* : Quâ in re solemnis est Interpretum decisio ad thesaurum adquirendum non nudam inuentionem sufficere, verum requiri insuper apprehensionem : sic & εὕρετρα dicta inuentionis præmia *d. l.* 43. § 9. Sic & *inuenire* quid pro adquirere, oppositum ei quod perit, vt notat Donatus *in Eunuch. Terent. Act.* 1. *sc.* 1. Eodemque modo seu sensu apud Græcos εὑρίσκειν : passim etiam in sacrâ scriptura vsurpatur loco, *adsequi*, vt in loco illo *quærite & inuenietis.* Ergo inuenire personam, remue, à priori ad consequens, est ita inuenire, vti simul ea occupetur, exhibeatur, comprehendatur: & inueniendi sponsio, ἐμφανείας ἢ παραστάσεως ὁμολογία, vt alioquin Græcis *Cautio iudicio sisti*, seu vadimonij pro alio promissio, dicitur ἐμφανείας ἢ παραστάσεως ἐγγύη Sic sane & in ipsa præconij formula apud Plautum in *Mercatore actu* 3. *Sc.* 4.

Certum est, praconium iubere iam quantum est conducier.

QVI VIAM INVESTIGENT, QVI INVENIANT : *post ad Pratorem*

Ibo orabo, vt conquisitores det mihi in vicis omnibus.

Ac nominatim in Latronibus & Latrocinantibus adprehendendis vox hæc *inueniendi* propria fuit, & σπιαυλική, pro omni videlicet opera opereq; & ἀποτελέσματα, in opprimendo Latrone; quia & potissimus in eo labor vertitur, Latronem inuenisse, quàm vincere: vt eleganter Florus, *lib.* 2. *cap* 3. *Ligures imis*

Alpium iugis adhærentes inter Uaram & Macram flumen, implicitosq; dumis siluestribus maior aliquanto labor erat inuenire quàm vincere: tuti locis, & fuga, durum atq; velox genus, ex occasione magis latrocinia, quam bella faciebat. Idemque de Balearibus, *lib. 3. cap. 11. dilapsi in proximos tumulos quærendi erant vt vincerentur.* Et certè cum præcipuæ sint latronum artes, latere, (vnde etiam *latronibus* proculdubio nomen, sed & ipsi *Barsatoræ*, vt antea indicauimus) præcipuum quoque ad illos conficiendos est inuenisse. Quare, vt rem verbo finiam, in hâc lege nostrâ *inueniendi sponsio*, mox *exhibendi* necessitatem iniungere dicitur & definitur: De quâ alioquin *exhibendi* voce eiusque vi & potestate videnda est *lex 2 ff. ad exhibendum lex* 3. §. 8. 9. *ff. de tabulis exhib. lex* 3. §. 8 *ff. de homine libero exhib. lex* 22. 246. *ff. de verborum significatione.* Ergo ipsa sponsio Latronis inueniendi, exhibendi quoque vim in se continebat: quod etiam Baldus & Angelus hic agnoscunt, vocem scilicet *inueniendi* ita communi consuetudine accipi: Et sic exhibendi necessitas in hâc lege supponitur vi ipsâ, verbo sponsionis inueniendi, quâ Lysanias se Latronem *inuenturum* spoponderat, non verò de eo dubitatum, ideóue relatum ad Gordianum fuit, quod vulgares interpretationes volunt. Verùm de causis quibusdam singularibus quærebatur, quibus Lysanias officium explere suum fidemque liberare sese posse negabat, & retrò de mediis, quibus Lysanias ad fidem præstandam ac nominatim si dolo culpaue quid admisisset compelli posset, tandem de processu hac in re.

Cæterum

Cæterum, quod in hac facti specie seu sponsione hîc postremo loco notandum est, sponsio hæc latronis, & famosi quidem, inueniendi (de quibus tribus hactenus actum est) à *Decurione* facta dicitur. Decuriones scil. Curiæ suæ in municipiis, ciuitatibus, oppidis, vicis, Senatores quodammodo fuisse, notissimum est: de quibus ipsis alioquin, vt omittam peculiares de his titulos, extant aliæ quoque eiusdem Gordiani Imp. Leges: puta *lex. 2. Cod. de his qui in exilium dati. lege 2. Cod. de Tabul*: imò & de Curiis seu ordinibus est eiusdem *lex 1. 2. Cod. de seruis Reipubl. l. 2 Cod. de professs. & medicis*. De his dixisse in summam sufficiat, in Decurionibus, seu in Curiâ, vires, neruos animamque & radicem ciuitatum constitisse, de quo extant egregia quoque Libanij loca. Orat. *περὶ τῶν προστασιῶν p.* 10. *in Iuliani necem p* 297. in *Antiochico p.* 317. *Orat.* inedita *aduersus Icarium*, & insignis quoque. Nouella *Maioriani* 1. & Cassiodori *locus* 2. *Variar.* Nempe enim, vt decuriones erant Nobilissimi, Primi, potentissimi, per ciuitates, eorumq; territoria; ita Reipubl. munia λειτουργίαι per hos administrabantur tolerabantur; sponte partim, *de quo titulo de pollicitationibus*, & nominatim *lege 9. eod. titul.* quomodo & in vniuersum spontanei quidam decuriones erant: partim officij seu muneris necessitate. In quibus erat & pacis publicè tuendæ studium, proinde & in eruendis malis hominibus & latronibus sedulum ministerium seu opera. Atque postremum istud ideò, quod ij per ciuitates eorumque territoria possiderent, *tenderentur* (quâ postrema voce Capitolinum nonnulli

in *Pertinace* vſum volunt) ſeu, vt loquitur Apuleius, *extra vrbem totam & pomœrium colerent.* In quibus etiam Decurionum terris ſeu territoriis ſæpe Actorum, procuratorum, colonorum conniuentia, colluſione, rei latebant: Imò ipſi nonnunquam decuriones προστασίαν & patrocinium vel latebram reis præbebant: Quâ causâ ipſis etiam Decurionibus pœnas haud raro impoſitas legimus, ſi in territoriis ſeu terris eorum rei latentes deprehenderentur: *vide Legem* 45. 46. *Cod. Theod. de hæreticis*: & *Principalibus* potiſſimùm inter hos: *Lege* 22. & 40. *eodem titulo*, & *Lege* 4. *ne ſanctum baptiſma*: ſeu Primatibus: de quibus vide Legem 13. *Cod. Theod. de deſertoribus*, & Legem 4. *eodem Cod. de decurionibus.* Quin & ipſos decuriones, & in his quidem principales, latrocinij infamia quandoque laboraſſe diſcimus ex Mandatis, quæ Rectoribus Prouinciarum de more dabantur: *leg.* 23. §. *vlt. ff. de pœnis.* Hinc igitur iam decuriones latronibus inueſtigandis, inueniendis idonei apprimè fuêre: & verò Lyſanias decurio ideo ante alios, egregius animi, in ſpecie huius Legis operam in id ſuam & ſedulam Repiublicæ ſpopondit. Etſi alioquin latronibus quemadmódum & fugitiuis, inueſtigandis, comprehendendis, varij olim ſubinde diuerſis nominibus præpoſiti eſſent. Huius generis erant. 1. *Stationarij*, de quibus ſunt notiſſima Suetonij, & Tertulliani loca, & *lex* 1 § 2. *l* 4. *ff. de fugitiuis*: *l.* 8. *Cod. de accuſat*: &c. 2. Erant *Irenarchæ*, de quibus eſt *lex* 16. *ff. de cuſtodia reorum*, & peculiaris titulus *vtroq. Cod.* vbi notandum etiam in Codice Iuſtinianeo additum, vt

idonei

idonei Irenarchæ à decurionibus nominentur: quod Codice Theodosiano non habetur, vnde tamen lex illa Codicis Iust. desumpta est: illud enim hactenus ibi cauetur, Præfectum prætorio pacis per prouincias præsidium *locupletioribus* committere debere: Quod quidem tamen etiam de decurionibus accipi possit, qui, vt dixi, locupletissimi per prouincias erant. 3. Erant & latronibus inuestigandis præpositi *latrunculatores*, de quibus *lege* 6. §. *vlt ff. de Iudiciis* λῃστοδιῶκται, βιοκωλύται, ἀφοπλισταὶ, & similes, de quibus Iustinianus *Nouella*. 7.8 *cap*.12.13. *&* 34. Quibus haud absimiles erant *Diocmitæ milites*, de quibus Ammianus Marcellinus & Capitolinus. 5. Imò & ad *Defensores ciuitatum* spectabat, latrones comprimere, de quo extat elegans admodum vtroque Codice lex *per omnes Regiones, de defensoribus ciuitatum*: vbi & Patrocinia latronum remoueri iubentur, quæ fauorem reis & auxilium scelerosis impertiendo maturari scelera faciunt: quomodo & *l. congruit ff. de off. Præsidis* dicitur, latrones sine receptatoribus diutius latere non posse: & Iurisconsultus *in lege*. 1. *ff. de receptatoribus*, pessimum genus esse Receptatorum, sine quibus nemo latere diu potest: vbi etiam subijcitur, eos perinde puniendos atque latrones, inque pari causâ habendos eos, qui cum adprehendere latrones possent, pecunia accepta, vel subreptorum parte dimiserunt. Tandem Paulus quoque *lib*. 8. *Sent. titulo* 3. §. 4. Receptores aggressorum itemque latronum eadem pœna affici qua ipsos latrones: sublatis enim susceptoribus, grassantium cupido conquiescit. Quæ quidem po-

ſtrema hîc etiam à me cumulata ſunt, quod ex his appareat, vt & ex toto titulo *de Receptatoribus*, de receptatoribus nominatim latronum ferme, agi cum de receptatoribus agitur. Ad rem. 6. Sic & *Inquiſitores* olim peculiares alij fuêre, veluti fugitiuis eruendis, qui *fugitiuarij* dicti: *leg.* 15. 18. *ff. de præſcriptis verbis. leg* 1. *Cod. Theod. ſi vagum petatur mancipium: vide & titulum de Fugitiuis* & Pauli Sententias. Apuleium *lib.* 6. Lucianum *in fugitiuo:* Quomodo & Inquiſitores fuêre hæreticorum quorundam, qui ad imam ſcil. ſceleris nequitiam peruenerant, in ſpecie *legis* 9. 13. *in fine: leg.* 14. 15. 31. 35. 52 *Cod. Theod. de hæreticis.* Tandem & deſertoribus inquirendis Tribuni & protectores miſſi: de quibus titulo *vtriusq; Cod. de deſertoribus & occultatoribus eorum.* Et hæc de perſonis quæ latronibus eruendis præpoſitæ fuêre. Accedat his, quod per libellos quandoq; vel per præconium, ſeu per prædicationem, præmium publicè proponi ſolitum his qui Latronem inueniſſent; delatoresq; adeo & inueſtigatores horum præmio excitos. Quomodo & iis qui hoſtes publicos occidiſſent prȩmium publice promiſſum: cuius exemplum v. vel apud Capitolinum *in Maximinis:* Tot, inquam, perſonæ, tot officia, latronibus inueſtigandis inueniendis ſubinde deſtinata, imo & præmia propoſita. Verum ſæpe vnius hominis ἐλχωεὶς, & potentis, animoſi, locorum & regionum, quæ fraudi latronumq; dolis accommoda ſunt, gnari induſtria ſolertia & ſagacitas (quȩ in inueniendo latrone potiſſimum requiritur: quomodo & ipſa vox *ἀείσκειν* apud Græcos à

ſagacitate

sagacitate nomen habet) eiusmodi negotium melius certius conficere potest, quam vel præsidis longinqua sæpe & tarda auxilia: vel in id destinatum officium & ministerium quandoq; venale, sæpe minus prouidum, vel præmium publice propositum. Hinc igitur decurio Lysanias in specie huius legis negotium istud in se recepit latronemq; inuenturũ respondit.

11. Et ita quidem hactenus de sponsione seu de promissione qua Lysanias decurio in se receperat, sese innenturum latronem Barsatoram. Et sic de priore huius legis & dissertationis parte. Nunc *de sponsionis istius vi atq; effectu*; quæ altera iam diatribæ nostræ pars est. Igitur cùm Lysanias fidem non præstaret, seu Barsatoram latronem non exhiberet, causis fortè nonnullis obtentis, eâ de re ad imperatorem Gordianum itum relatumq;, seu super eo consultus is fuit, vt ferme de decurionis pœnâ a d Prncipes relatum, *lege 2. §. 1. de bonis eorum qui ante sentent.* Gordianus, inquam, Tertius, qui Imperium sex annos tenuit, ab A.D. 240. ad 246. Et consultus ab *Auxio*: quem Magistratum municipalem fuisse oportet, veluti Duumvirum: de quibus alioquin Magistratibus est non vna eiusdem Imp. Gordiani constitutio, puta *lex 3. Cod. quando prouocare non est nec: lex. 1. Cod: de periculo nominator. Lex. 3. Codice Magist. conuen. lex. 14. Cod. de excus. tutor. lex 1. Cod. de vacat. publ. mun.* & de Duumviratu nominatim *d. l. 3. Cod. quando prouoc. non est nec:* Magistratum inquam municipalem Auxium fuisse oportet: Vult quippe Gordianus Lysaniam compelli ad exhibendum latronem & ni id faciat, transmitti

ad Præfectum prætorio, vel ad Præsidem prouinciæ: quæ duo Magistratibus municipalibus incumbebant: compellere videlicet obnoxios Reipublicæ, ad fidem suam liberandam, officiumq; præstandum, & si res maiorem notionem, vel animaduersionem requireret, ad maiorum Iudicum cognitionem rem reosq; transmittere. De quo postea.

Et rescripsit Gordianus Imperator ad consultationem vel relationem *per Epistolam*: dicitur enim hæc lex *pars Epistolæ Gordiani ad Auxium*: de quibus Imperatorum epistolis, quæ Imperatoriarum constitutionum speciem constituebant, quæq; erant ἀντιγραφαὶ βασιλέων πρὸς ἀρχόντων ἀναφορὰν (vt Theophilus describit. *v. & leg. vlt. C. de diuersis rescriptis*) iam notum est quicquid dici potest, etiam ex Notitia Imperij. Aristidis Oratoris super his locus inter alios *Orat. in vrbem Romam* insignis, vbi ait Imperatores sedentes epistolis totum orbem Romanum rexisse ἅμ' ἀρεια πολλὴ καθημένῳ πᾶσαν ἄγειν τὴν οἰκουμένην δι' ἐπιστολῶν. Addo, in veteri quadam inscriptione, quæ Romæ, memorari, *Numisium Quintianum V. P*, qui Gordiano AB EPISTVLIS LATINIS fuit.

Quod rationem temporis attinet, est hæc Gordiani lex sine die & Consule; quam tamen ordo legum sub hoc titulo de *fideiussoribus* positarum suaderet, datam Anno primo Imperatoris Gordiani: seu Anno Domini 240. quandoquidem proximæ duæ sequentes eiusdem Imperatoris Gordiani constitutiones eo ipso Anno datæ sunt, quibus posterior seruato temporis ordine hæc esse non potest: cum Tribonianus

nianus & ipse in Constitutionibus collocandis sub singulis Codicis titulis, imò & eo ipso etiam titulo, temporum & annorum seriem secutus sit: Verùm in hoc vim nunc non pono: quandoquidem iam Iustiniani quo dies & consul hîc intercidisse potuit, atq; ita è Codice Gregoriano vel Hermogeniano hanc constitutionem deprompsisse: sic vt ipse nesciuerit, cui anno ea congrueret, satis habens, eam inter Gordiani leges referre, etsi die & Consule careret.

Et respondit Gordianus, proculdubio *Misithei* doctissimi & eloquentissimi viri *Praefecti praetorio* sui, soceriq; etiam tandem optimi, consilio: cuius caeteroquin dispositione Imperium tùm feliciter regebatur, Gordiano tum admodum iuuene, vt testatur Capitolinus. Adhibitis etiam Iurisconsultis aliis, velut super re magni momenti: quomodo idem Imperator *Gordianus* aliàs quoq; Iurisconsultorum seu prudentum responsa constitutionibus suis non vno loco praefert: *lege 4. Cod. de collation. l. 1. Cod. quibus ad libertatem*: ac nominatim Papiniani, *leg. 12. Cod. de legatis*: Pauli, *l. 6. Cod. de nuptiis*: Modestini coaetanei sui, *l. 5. Cod. ad exhibendum*: Quę alioquin aetas summos viros & scriptores alios tulit: Origenem, Ammonium Philosophum Christianum, Censorinum, Plotinum, Longinum, Africanum, historiarum scriptores alios. Verùm haec obiter, non ingrato prorsus, vt opinor, diuerticulo.

Quidnam igitur ad hanc consultationem seu relationem rescribit & respondet Gordianus? Nempe, Lysaniam Decurionem compellendum esse Barsato-

ram Latronem exhibere (quomodo sanè etiam is qui pro alio cauit, exhibere cogitur, *leg. 17. ff. de in ius vocando*) aut transmittendum eum ad Pręfectum prætorio, vel ad Præsidem Prouinciæ. Ergo præsupponit velut rem indubitatam Gordianus, sponsorem hunc ex hâc sponsione Reipubl. regulariter teneri, & nisi opportuno tempore in latrone inueniendo operam suam impenderit, fidemq; adeo liberauerit, eo nomine conueniri ex sponsu puniriq; posse: vt cæteroquin is qui facere aliquid, ex stipulatione fortè, tenetur, si cùm facere potuit & debuit, non fecit, pœnam incurrit: de quo vide vel Menochium *de Arbitrariis lib. 4. casu 498.* Quantò magis, vbi Reipublicæ sponsio facta fuit, & quidem in re ad securitatem publicam pertinente? sicuti retrò, Respublica tuitionem suam tale quid pro eâ in se recipientibus, vel exequentibus omni iure debet.

Et moueri tamen hoc fortè casu non vna dubitandi ratio poterat, non vna Iuris species à Lysaniâ obtendi, quæ iustæ Orationis materiam implere, & excusationi alicui seu ἐπιεικείᾳ locum facere posset. Iam primum enim fingamus, Lysaniam solo Patriæ amore ductum, meraq; αὐθαιρεσίᾳ, nullaq; etiam fors mercede auctoratum, id in se recepisse spopondisseq;: certe, non vltra vrgendus videri possit, neq; sponsio hæc propensaq; voluntas in noxam eius vel necessitatem trahenda. Sic enim etiam ij qui spontaneum munus operamq;, vel etiam opus, in Republ. polliciti sunt, ex pollicitatione cogi non possunt: nisi si ob honorem sibi decretum vel decernendum promiserint,

miserint, vel nisi etiam cum sine causâ promisissent, id cœpissent, *toto titulo de pollicit.* Secundò fingamus, Lysaniam per iactantiam & effuso sermone caloreue, vt multis & quidem inexpertis arduum nil videtur, Mauorsque ventosa in lingua est, id spopondisse, certè in necessitatem id trahi, suaq;, vt Poëta ait, nunc promissa reposci, seuerum nimis videatur: cum & aliàs iactatio ad præcisam necessitatem non vocetur. *l. 19.§.2 ff. de ædilit. Edicto:* vt & quæ nudo sermone ex ore fugit professionis licentia & temeritas seu accusatio. *l. 5. C. Th. de accusationib.* Tertio, etsi largiremur, pretio pigneratam Lysaniæ fidem, sed cui facilis initio res visa fuerit, verùm postea rebus ipsis plenam periculi aleæq; comperisse, imò impossibilem deprehendisse, cuiq; intelligere deberet explere se id officium non posse: vti multa primore fronte prona videntur, vbi experiâre cum maximè ardua sunt: multaq; item præter spem atq; inopino, vsuvenire solent, quibus citra noxam seu culpam destinato potiri non licet, sponsoresq; adeo promissiones suas destituere possunt, vt loquitur Tertullianus. *adu. Hermogenem. c. 18.* honestosq; & faciles alioquin conatus spes sæpe frustrata est. v. g. quia sponsor, qui in se quid recipit spopondit q;, ab aliis secutorib. ministrisue, qui & ipsi opem auxiliumq; in id suum polliciti fuerant, deceptus est, vel ijdem, viles vt sæpe animæ, minus sollicitum prudensue ministerium exhibuerunt: siue quia optima consilia fors, imò prouidentia diuina vertat, & insperata magis accidunt, quàm quæ speres, præsertim hâc in re, vbi de latrone inuenien-

do agitur, deq; venatione eius, sic vt dicam *ἀνθρωποθηρία*, quemadmodum de venatione ferarum dicitur, multa accidere solere & posse, vt fera non capiatur. *l.5. ff. de adq. rerum dom. & exinde Inst. eodem titulo*: quia vt supra iam notatum est, latronem viarumq; subsessorem, ἔφεδρον, inuenire quàm vincere difficilius est: & idem ille fors latro, de quo sponsum fuerat, post sponsionem factam non ad solita tantum & inaccessa sese latibula recepit, fugæq; præsidium mandauit, vt Apuleius loquitur, verùm etiam gliscente famâ in se moueri machinas mage-maiores, & ipse magis magisq; sibi cautum iuit: & in summam latrones de facili elabuntur: sic vt inuenti etiam non inueniantur: quod de Bula Felice latrone sub Seuero Imp. Dio eleganter scribit: οὔτε ἑωρᾶτο ὁρώμενος, οὔτε εὑρίσκετο εὑρισκόμενος: Quod quidem euenire solet, vt omittam artes alias, siue latronum μεγαλοδωρία, & effusis muneribus, siue etiam σοφία, solertia, quæ in latronibus ingeniosissima est: sunt enim Latrones huiusmodi φάσματα μᾶλλον ἢ ἄνθρωποι, vt loquitur Zosimus, *lib. 4. p. 771.* præsertim si sint veterani latrones, vt Petronius eos vocat: Cuiusmodi plures hæc ætas nostra vidit & experta est. Deniq; non animus, sed occasio sæpe desit ei, qui quid spopondit seu in se recepit: visq; maior aliqua, θεοῦ βία, consilia hominum miscet. Vt proinde huc aptari possit, quod de vadimonio pariter ex sontica causa deserto iure cauetur, *titulo si quis cautionibus, & l.vlt ff. qui satisdare*, vbi Paulus; *qui iurato* inquit *promisit iudicio sisti, non videtur peierâsse, si ex concessâ causâ hoc deseruerit.*

Seneccæq;

Senecæq; adeò dictum 4. *de benef.* 39. Posteaquam enim dixit, *sponsum descendam, quia promisi, sed non si spondere in incertum iubebis, si fisco obligabis, subest, inquam, tacita exceptio, si potero, si debebo, si hac ita erunt; effice vt idem status sit, cùm exigitur, qui fuit, cum promitterem: destituere leuitas non erit, si aliquid interuenit noui: Quid miraris, cum conditio promittentis mutata sit, mutatum esse consilium? Eadem mihi omnia præsta, & idem sum*: Subijcit, *Vadimonium promittimus, tamen deseritur; non in omnes datur actio: deserentem vis maior excusat.* A quâ etiam sententiâ haud adeò abludit initium *legis* 38. *ff. de solutionibus.* Omnia tandem honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit, sæpeq; honorata virtus est, etiam vbi eam fefellit euentus: nec infelix virtus amittit gloriæ titulum. Quid est igitur, cur sponsorem hâc in specie eò forte adigas, quò nemo tenetur? ad impossibile scilicet. Quid est, cur propensum saltem in Patriam studium tam immodico & acerbo Imperio κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον vrgeas? Cuius metu non possunt non deinceps honestissimi quiq; Patriæ amantium conatus retundi, si eo iure præfractoq; secum olim agi posse prospiciant, vti sibi aduersi casus, vel improsperi, quæq; ex improuiso contingunt, vel ministrorum iniuriâ, contra ius fasq; omne imputentur: Quod linguâ factiosi multi ignauâ opera facere solent. Et hæc quidem pro Lysaniâ.

Verùm aliæ contra rationes in proposita facti specie contra Lysaniam afferri militareq; poterant. Et primò quidem repetendum, de *sponsione* hìc agi, quò vtiq; descenditur non calore vel leuitate aliquâ, ve-

rum certo tantum pensoq; animi consilio, deliberato sedato animo, vt in genere eo animo ad stipulationes descendi solet, velut ad firmissimum & commune omnium obligationum adstringendarum vinculum, quod docuit Castrensis, & post eum cæteri, *in Rubr. de verborum obligationib.* & ibi Ripa *n.2.* qui ita quoq; sensisse Bartolum scribit in *l.1.§. si quis simpliciter ff. de V.O.* Secundò meminerimus, hîc agi de sponsione *Reipublicæ* facta: cui potissimum, si quid promissum est, incunctanter præstari oportet: Quod etiam peculiari lege Attica cautum, sub pœna capitis: ἐάν τις ὑποσχόμενός τι, τὸν δῆμον ἢ βουλὴν ἢ δικαστήριον ἐξαπατήσῃ, εἰσαγγελίαν εἶναι περὶ αὐτοῦ κἂν ἁλῷ, θανάτῳ ζημιοῦν: vt refert Demosthenes *in Leptin. duobus locis*, vbi videndus & Vlpianus: vt & *Oratione* πρὸς Τιμόθεον ὑπὲρ χρέως. In cuius legis ratione reddenda aqua hæsit viro docto *ad leges Atticas p.* 431. Neque alia etiam ab hac lex est, quæ refertur, aliis tantum verbis, à Dicæarcho, *in Philoclem p.* 80. ἐάν τις ἐναντίον τῶν πολιτῶν ὁμολογήσας τι παραβῆ, τοῦτον ἐνόχους εἶναι τοῦ ἀδικεῖν Non inquam alia est hæc lex à superiore: nam ὁμολογίας vox ibi non significat *nudam confessionem*, quod credidit idem ille vir doctus, verùm accipienda ea est de solemni sponsione seu promissione: ὁμολογία, inquam, est promissio, sponsio, quomodo & veteres Glossæ non vno loco explicant: Et ita passim Græci Iurisconsulti vsurpant, & in his Theophilus; imò ita quoque in libris noui Fœderis quandoque effertur; est & vbi allusione facta ad sponsionem, quę in baptismo intercedebat: vt iam à

vitiis

viris doctis obseruatum est. Ad alias rationes pergamus. 2. Iustissima prętereà hîc suspicio oriri poterat, Lysaniam dicta sua tantum retractare, quæque pepigisset recusare, quęstu corruptum, pecuniáque adeò accepta, vel subreptorum parte latronem dimisisse: vt latronum fermè receptatoribus mos est, vt docet *lex 1 ff. de receptatoribus*, vel certè euadendi spatium dedisse. 3. Adijce quod hac sponsione ducta Respublica fortè sumptus iam immanes fecerat. 4. Vel contra, hac spe vel sponsione delusa, alias inueniendi Latronis vias & rationes insuper habuit & amisit: vt proinde non debuerit Respublica tam inani spe & sponsione lactari. 5. Deniq; potuit in hac facti specie, sponsor ita se artasse, quomodo in simili loquitur I.C. *in l. 2. ff. si quis cautionibus*, vt occasionem inueniendi latronis neglexerit. 6. Et certè suis qui pollicitationibus Reipublicę fraudem facerent, vel aliter negotiis eam implicarent, plecti iam olim soliti. Memorabilis est illa Ephesiorum lex, quam memorat Vitruuius *præfat. lib.* 10. qua pœna proposita erat aduersus Architectos, qui cùm publicum opus curandum suscepissent, *polliciti* fuerant, quanto sumptu id futurum esset, non iusta æstimatione tradita, sic vt ad dictum impensa postea non responderet, vt ita discerent, diligentius modum impensarum ratiocinando explicare, neque Rempublicam ad infinitas sumptuum profusiones inducere.

Hæ, inquam, similesq; fortè alię rationes vtrimq; allegari, adferri, potuêre, quæ rem ancipitem facerent; & vlteriorem flagitarent cognitionem. Quare ad

ad Imper.itum,qui responso suoadhibitâ distinctione sponsorem vel compelli cogiue illicò voluit ad exhibendum latronem si nihil scilicet obtenderet, quod cognitionem vlteriorem & maiorem desideraret: & quidem veteri formula *ex sponsu*, quomodo dicitur *d.l.* 19.§.1.*ff. de adili. edicto* & apud Varronem & Gellium, *& d.l.*7.*ff. de verborum signif.* compelli, inquam, quomodo similiter dicitur *l* 1.2.*Cod. commodati* compelli placitum implere, compelli agnôscere fidem susceptam: & quidem in hac specie ordinario Magistratus municipalis officio: vel si detrectaret, caussasq; obtenderet, transmitti seu *remitti* eum ad Præfectum prætorio vel ad Præsidem Prouinciæ. Pariter vt de pollicitationibus in ciuitatem factis Iudicum cognitio erat *l.* 8.*ff. de pollicitat.* Iudicum id est Rectorum prouinciarum. Quo fine pariter Gordianus insp. huius l. sponsorem ad maiores Magistratus transmitti seu *remitti* voluit, vt ipsi videl. cognita causa pro arbitrio suo decernerent, num iusta aliqua sponsoris causatio seu excusatio esset, nec-ne, atq; ita prout res esset, vel ad præstandam fidem protinus adigerent niue faceret, eum punirent, vel retrò sponsionis gratiam facerent. Neque enim Cuiacio adsentiendum, qui decurionem *in h. l.* ad maiores Iudices *remitti* seu transmitti ait simpliciter, quod dolo malo latronem non sisteret: Transmitti enim iubetur ad causæ cognitionem. Res hæc scilicet in cognitionum numero erat, vt ipsemet Gordianus alia in re loquitur *l.* 5. *Cod. si pendente appellat.* quomodo & de latronibus ipsis cognitionis res erat, vt docet *lex* 28. §.15.*ff. de pœnis*, quæ

nis, quæ ideo ex Calliſtrati cognitionum libris deſumpta eſt. In cauſæ porrò cognitione, atque in arbitrio Iudicis in ſummam vertebatur, num ſponſor probabilem cauſam aliquam & excuſationem è ſupradictis aliamue non implendæ ſponſionis præ ſe ferret: vt ita Iudex perpenſo Iudicio (vt alia in re idem Gordianus loquitur *l. 7. Cod. de accuſationib.*) pro motu ſuo, vel ad liberationem, vel ad condemnationem cauſa cognita procederet, & vt idem rurſus Gordianus ait *l. 2. Cod. ad S. C. Turpil.* extra ordinem ſecundum iudicialem motum puniret liberarétue. Non itaque Gordianus ſtatim ex hac Remiſſione Lyſaniam damnari voluit, velut doli mali, fraudiſue compertum, quod multi cenſent, verùm & abſolui prout res eſſet: atq; adeò ex integro audiri: ſic vt non quaſi pro damnato ilicò habeatur, ſed vt re integra quæratur, & παλινδικία inſtituatur, exquiſitis argumentis: quomodo & de tranſmiſſis, tùm ab aliis, tùm ab Irenarchis expreſſo olim mandatorum capite, Principumq; reſcriptis cauebatur. *l. 6. ff. de cuſtod. reor.* cui concinit *&* *d. l. 7. Cod. de accuſationib.* Abſolui itaque voluerit Gordianus Lyſaniam, ſi omnia fide bona eum egiſſe appareret, quæ virum bonum & ſedulum oportuit: contra damnari voluit, ſi per eum dolo malo, ſecordiaue, aut latiore culpa ſtetiſſet, quominus latro inueniretur: idque velut publico crimine, ceu receptatorem latronis: argumento inſcriptionis *legis 1. & 2. ff. de receptatoribus*: *l. 1. & 2. Cod. Th. de his qui latrones &* Pauli, *Sent.* 5. 5. 4.

Ergo ſponſorem à Magiſtratibus municipalibus

ad maiores Iudices transmitti seu *remitti* voluit Gordianus, quia res hæc cognitionem desiderabat seu merebatur, & quia si ad pœnam procedendum esset, Magistratus municipales hanc Iurisdictionem non haberent. Nempe enim Magistratus municipales nihil meri Imperij habebant: nam & sic fures comprehensós ad Præsidem transmittebant, teste vel Paulo apud auctorem coll. legum Mosaic: *tit*.7. déque seruis etiam supplicium his sumere fas non erat: verùm in leuioribus tantum delictis in seruos potestatem habebant, modicámque castigationem. *l*.12.*ff. de Iurisdict*. *l*. 17. *in f. ff. qui & à quibus manumissi*: veluti flagellorum *l*. 17. *§*. 1. *ff. de iniur*. aut lori *l*. 15. §. 39. *eod. tit*. Imò nec ea habebant, quæ magis essent Imperij, quam Iurisdictionis. *l*. 26. *ff. ad municipalem*: cui iungenda est, velut eòdem pertinens, & indidem desumpta, *lex* 4. *ff. de Iurisdict*. Denique Magistratus minores seu municipales erant sine Imperio *l*. 12. *ff. de iniuriis*: Imò nec Iurisdictionem suam pœnali iudicio defendere poterant. *l*. 1. *ff. si quis ius dicenti non obtemp*. Quæ omnia soli Magistratus maiores qui populi Romani Magistratus olim dicti, habebant.

Magistratus porrò maiores, ad quos sponsorem hunc remitti seu transmitti iubet *hâc lege* Gordianus, designantur hi duo, *Præfectus prætorio*, & *Præses Prouinciæ*, sub his enim positi obnoxijq; erant Magistratus municipales. Et in his quidem Præfectus prætorio, *amplissimus*, quo titulo eum cohonestat idem Gordianus *l* 3. *Cod. quando prouocare non est nec*: qui suum ipse auditorium habebat, *l. lectâ ff. de rebus credi*

cred. ad quem in criminalibus à Præſidib. Prouinciarum appellabatur, iſque adeò horum iudicia retractabat, vt docet eiuſdem Gordiani *lex 6. Cod. de accuſ. d.l.3.Cod. quando prouoc. non eſt neceſſe. l.1. Cod. de vacat. mun.* Ad eum rei quidam criminum puniendi mitti debebant, teſte Paulo 5.*Sent.*12.§.11. Apud eundem reſtitutio poſtulabatur, quod idem Gordianus teſtatur *l. 1. Cod de officio eius qui vic. al.* Idemq; ſignate in latrones animaduertebat, vt docet Seneca 2. *de Clem.*1. Huiuſmodi porrò Præfectos pretorio, ne de aliis nunc dicam, vel in alia tempora curioſitatem nunc immittam, tres ſub ipſomet Gordiano deprehendo; In his, preter Miſitheum, de quo ſupra occurrit Fabianus; ad quem extat eius conſtitutio *l.6.Cod de ſent. paſſis* : Ammonius, cui inſcribitur *lex 2. Cod. de his quæ ſub modo legata ſunt* : Domitius, ad quem data eſt *d.lex 6.Cod.de off. eius qui vic. al.* Et hæc de Præfecto pretorio, quantum ad rem præſentem ſatis ſit.

Rectores verò ſeu præſides prouinciarum ſub his *viri clariſſimi* erant, vt non vna Gordiani conſtitutione vocantur. *l.14. inf. hoc ipſo titulo de fideiuſſorib.l. 9. Cod de tranſact.* Iudicéſque ordinarij erant. Ad hos rei comprehenſi à Magiſtratibus municipalibus tranſmittebantur, vt iuxta hanc l. teſtis eſt vel Paulus 1. *Sent.*6.§.4 & 5.23.§.8 & auctor.coll. legum Moſaicarum *tit.*7. Ad eoſdem à Magiſtratibus municipalib. appellabatur, vt vel idem Gordianus fidem facit *l. 1. Cod de vacat public. mun.* Iidem inter alia Iudices erant cauſarum, que ad vtilitatem Reipublicæ ſpectabant *d.l.1.* Quare res hæc quoque ad Præſidis cognitio-

nem pertinebat; (vt loquitur idem Gordianus *l. 4. Cod. ad l. Fab. de plagiar.*) ac nominatim cognitio de sponsionibus, vt docet eiusdem *lex 9. Cod. de transactionib.* & maxime cùm de decurionibus res esset, vt discimus ex *l. 6. §. 7. ff. de iniusto, rupto,* & ex variis constitutionibus vtriusq; Codicis: v. Cod. Th. *l.* 39. 47. 80. 87. 110. 118. 164. 175. 181. *de decurionibus*: Idem & decreta Ordinum confirmabat, vt testatur eiusdem Gordiani *lex* 1. 2. *Cod. de seruis Reipubl. manumitt.* Tandem ad Præsidis officium pertinuisse scimus, vt latrones & receptatores eorum conquirerentur, malisq; adeò hominibus ac latronibus prouincia liberaretur. *leg. 13. ff. de off. Præsidis*: *leg. 1. & 2. ff. de receptatoribus.*

Ad alterutrum porrò, vel ad Præfectum inquam Prætorio, vel ad Præsidem prouinciæ, Lysaniam hunc decurionem sponsoremq; transmitti iubet Gordianus: prout videl. alteruter in propinquo esset, vel Magistratui municipali visum esset. Hæc enim istius alternatiuæ vis est. Quomodo & aliàs optioni *præuentioniq;* simili locus olim esse quandoque poterat, siue in transmittendis reis à Municipali Magistratu, vt in *h. l.* siue in vindicandis ab vno diligentiore è pluribus Iudicibus competentibus: siue ètiam in eligendo Iudice à litigatore, vt *l. 1. Cod. de off. Rector. prou. & l. 36. C. Th. de appell.* Pariter vt simili alternatiuæ seu optioni in Ecclesiasticis quoque negotiis quandoque locus fuit: referendi, inquam de fide agendiq; vel apud Metropolitanum prouinciæ, aut Exarchum diœceseos, vel apud Patriarcham, vt vel ex solemni

Hieronymi

Hieronymi *ep.6.1.* discimus, & ex *canone 9.& 17.*concilij Chalcedonensis.

Et hæc quidem ad huius legis illustrationem sufficiant. Vnde iam liquere satis puto, quàm prauis ea hactenus Interpretationibus defœdata iaceat, quàm malè proinde in *praxin* vel rerum actum hactenus ea deducatur: Nos enim, missis aliorum Applicationibus, opinor, tutò iam eam l. vsurpabimus,1.vbi agetur de καταλύσει τῶν λῃστῶν.i.de rationibus inueniendorum latronum, eorumque inhibendorum, dę quibus est alioquin Cuiacij obseruatio 11. *lib.19.* vbi hanc tamen legem omisit. 2. Cùm agetur de sponsione vel pollicitatione Reipub. facta à priuato super rebus ad vtilitatem & securitatem eius pertinentibus, ac nominatim de latronibus inueniendis. 3. Cùm agetur de iis, quę Magistratuum Municipalium cognitionem modum & Iurisdictionem superant, contrà quę cognitionem maiorum Magistratuum desiderant. 4. Cùm *de Remissionibus* reorum agetur, nam & *h.l.* remissionis exemplum extat: de qua alioquin Remissionum materia Criminalium praxeon scriptores latè. 5. Cùm quæstio agitabitur, num is qui in se quid recepit, vel mandatum suscepit, vel pollicitus est, fidem explere suam semper, receptumque exequi cogatur. 6. Postremum vbi agetur de præuentione deq; concursu eiusdem cognitionis ad diuersos spectantis. Quæ pleraq; hactenus hic incognita, transmissaue ab Interpretibus, quàm procul absint omnia à vulgatis Interpretationibus, quisq; iam facile dispicere poterit, dummodo candidæ

mentis. Nil enim moramur nonnullos de Arcadico genere, qui genuinum legibus ſenſum reddere, nouos ſed veros Intellectus præſtare, errores communes caſtigare, leges demùm in apricum & praxin: eruméq; actum vtiliter deducere, odioſo hodie nomine, velut Critici tantum opus, & in his quidem, in iis qui vel maximè à verborum & ſyllabarum aucupiis abſunt, differre ſolent. Suo illi per nos interim fruantur ingenio, repertisq; frugibus, glandibus porrò veſci pergant, nos enim hæc illis ἀχελῴοντες non ſcribimus, neque apparamus.

Addenda & Emendanda.

Pagina 3. *linea* 21. ſeu ſpeciem. *Pag.* 4. *lin.* 7. [illegible] *Pag.* 5 *li*[illegible]7. poſt *omnia*, repone & adde, etſi in ſe ferme vera ſunt, attamen ſuauia &c. *Pag.* 6. *lin.* [illegible]. vbi. *Pag.* 7. *lin.* 3. pollicitationes. *Pag.* [illegible] *lin.* [illegible] experiri & *lin.* 20. poſt. in re, adde non habent quomodo propriè reddantur. *Pag.* [illegible] *lin.* 6. pactum informetur. *Pag.* 2. *l.* 1. poſt. alterue, adde, forte promiſſa muneris vacatione vel immunitate: *& lin.* 11. *&* [illegible]2. repone. *l. ita ſtipulatus* 1[illegible]. *l. ſi ita* &c. *Pag.* 14. poſt regionibus, adde. Neq; enim Iſaurum fuiſſe puto: tota enim gens Iſaurorum latrociniis infamis erat, de quib. v. vel Am. Marcell. & *l. vlt. C. Th. de quæſtion.* vbi dicam. Atenim hic Barſatoras, velut vnicus factionis manu'q; cuiuſdam latrocinalis Dux deſignatur. *Pag.* 16. *lin. pen.* tolle. & *exinde* §. 18 *Inſt. eod. tit & l.* 63 *ff de acq. ver. dom & exinde Pag.* 19. *lin.* 10. l. ex 2 *& lin.* 15 [illegible]. *Pag.* 21 *lin.* 10. [illegible] *Pag.* 22. *lin.* 3. ferme agi: *& lin.* 4 adde: v. & tit. *C. Th. de his qui latrones vel aliis criminib. reos occultauerunt: & lin.* 26. ἰγχωρεῖν. *Pag.* 23 *lin.* 2[illegible]. *de Magiſtr. cenu.* *Pag.* 28. *lin.* 21. zoſimus. *Pag.* 3[illegible] *lin.* 12. ὑποκεχώρηκότες [illegible] *& lin.* 13. [illegible].